

**N o v a e S p e c i e s A l g a r u m,**

quas

in itinere ad oras maris rubri collegit

**Eduardus Rüppell;**

cum observationibus nonnullis in species rariores antea cognitae.

Auctore

**Jacobo G. Agardh, Phil. D.**

---



Als vor Kurzem Herr Agardh jun. auf der Durchreise mich mit seinem Besuche beehrte, sah er aus der Sammlung unseres Museums namentlich die bis jetzt noch nicht veröffentlichten Algen, welche Rüppell im rothen Meere gesammelt hatte, durch und erkannte darunter mehrere nicht beschriebene Arten. Meinem Wunsche, sich der näheren Untersuchung und Beschreibung derselben zu unterziehen, gütigst entsprechend, nahm er die kleine Sammlung mit nach Paris, von wo aus er mir denn seine auf den folgenden Seiten enthaltenen Bemerkungen einsandte. Zu erwähnen ist übrigens, dass sich die Anzahl der von Rüppell gesammelten Arten höher beläuft, indem die schon von Andern aus demselben Meere angeführten Algen hier meist übergangen sind.

Anfangs December 1836.

Fresenius.

---

1. *Sargassum Rüppellii* J. Agardh.

*S.* caule teretiusculo laevi, foliis lanceolato-ellipticis repando-dentatis uninerviis, vesiculis clavato-pyriformibus glandulosis, in ramulis abbreviatis racemose dispositis.

Hab. In mari rubro ad oras Abyssinae legit Rüppell.

---

Caulis fere omnino teres, per totam longitudinem ramis, nunc brevioribus vesiculiferis, nunc elongatis denuo ramuliferis alterne obsitus. Ramuli in superiore caule ex axilla folii egredientes, in inferiore foliis denudati, sed vesiculis numerosis racemose dispositis ornati. Vesiculae plus minus pyriformes, nunc omnino clavatae, nunc apice acuminatae et circumscriptione sublanceolatae, nunc denique glandulis ornatae et varie angulatae.

Species quoad formam foliorum quibusdam varietatibus *S. ilicifolii* conveniens, sed vesiculis ab eo ut a plerisque aliis facile distinguenda. Receptacula nulla evoluta adsunt.

---

2. *Sargassum cuneifolium* J. Agardh.

S. caule tereti filiformi ramisque subsimplicibus, foliis cuneato-lanceolatis obtusis uninerviis repandis minutissime denticulatis, vesiculis pyriformibus petiolo plano suffultis in inferiore ramorum parte numerosis.

Hab. in mari rubro ad oras Abyssinae: Rüppell.

Sarg. subrepaudo Forsk. forsan proxima, sed fragmento hujus, quod ad manus habeo, multo tenuior, foliis in nostra omnino membranaceis. Quoad formam folia quoque magis Sarg. Aquifolio conveniunt, sed semper multo minutius denticulata quam in figura Turneriana. Vesiculae insuper constanter pyriformes, nunquam aristatae, quam in Sarg. Aquifolio duplo minores, et semper in inferiore ramorum parte numerosae, a speciebus allatis bene distinguunt et potius ad antecedentem nostram speciem adpropinquant. Ab hac tamen foliorum forma et margo vix denticulata sicut et totius habitus statim removent.

3. *Sargassum Fresenianum* J. Agardh.

S. caule compresso filiformi ramisque subsimplicibus, foliis lineari-ellipticis, basi cuneatis, uninerviis denticulatis, vesiculis pyriformibus saepe gemellis.

In mari rubro ad oras Abyssinae legit Rüppell.

Foliorum forma eadem ac in *S. latifolio*, nervo pone apicem in nostra quoque evanescente, sed dentes validi illius in hac desiderantur vel in denticulos parvos redacti sunt. Vesiculae in Sarg. pyriformi magis ellipticae, aequae ac foliorum forma ab hoc distinguunt. Alias his speciebus proxima.

4. *Sphaerococcus distichus* J. Agardh.

S. fronde filiformi compresso-subplana distiche pinnata, pinnis vage dichotomis a margine ramulos numerosos saepius secundos et aculeiformes emittentibus.

In mari rubro ad oras Abyssinae legit Rüppell.

Frons semipedalis subplana et distiche pluries pinnata. Pinnae dichotomae nunc ex utroque margine densissimas, nunc incurvatae ex interiore subnullas ex altero pinnulas secundas numerosissimas, superne aculeiformes, emittentes. Substantia subcarnosa. Color luteo-virescens.

Affinitate proxima *Sph. compresso junctam*, an speciem diversam vel tantum a loco natali pendentem formam ejusdem speciei considerarem, diu equidem dubius haesi. Diversitates tamen nimiae quam ut adhuc utrasque jungere auderem. In omnibus, quae vidi, speciminibus frons eximie disticha, ramuli numerosi aculeiformes, color virescens plantam, ne minime quidem chartae adhaerentem, longe alium habitum induunt.

5. *Caulerpa clavifera* var. *turbinata*.

Frondeb. longioribus, ramentis densissime imbricatis clavato-subpeltatis.

Hab. in mari rubro prope Tor legit Rüppell.

Surculi elongati ramosi, crassitie pennae anserinae. Frondes simplices vel dichotomae, 1—3 unciales, ramentis dense vestitae. Ramenta pyriformi-clavata, apice truncato-peltata, undique imbricata. Color in sp. nostr. flavescens.

Ni nimium fallor est planta nostra eadem, quam Lamouroux nomine *C. chemnitziae* distribuit. Vera *C. chemnitzia* et *C. peltata* Lamour. fors. varietates sunt ejusdem plantae, ut quidem eas jam consideravit Turnerus. Hanc autem nostram, ab his diversissimam, a *Caul. uvifera* Turneri vix specie distinguendam crediderim, licet ramenta plantae madefactae formam subpeltatam constanter servant.

6. *Caulerpa lentillifera* *J. Agardh.*

*C.* frondibus ramosis, ramentis vesiculosis sphaericis minutis undique densissime imbricatis.

Hab. ad oras Abyssinae maris rubri legit Rüppell.

Surculi ramosi praecedentis, sed tenuiores, crassitie pennae columbinae. Frondes juniores simplices, unciales et ultra, adultiores usque tripollicares, dichotomae vel ramis nonnullis uncialibus ad mediam frondem aggregatis instructae, ob ramenta apice densius aggregata leniter clavatae, penna anserina tenuiores. Ramenta undique densissime imbricata, in inferiore fronde aliquantulum laxiora, omnino sphaerica, sessilia, exsiccatione collapsa, quam in *Caul. sedoide* duplo minora.

Inter *Caulerpam sedoidem* et *Caul. simpliciusculam* omnino intermedia existimanda, ab illa ramentis densius imbricatis multoque minoribus, ab hac forma et habitu

frondis, quo magis alteri convenit, nec non ramentis, quae licet admodum densa, tamen invicem discreta et omnino sphaerica sunt.

---

7. *Caulerpa selago* *Turn.* Hist. t. 55.

Ad oras Abyssinae maris rubri legit Ruppell.

Plantae Turnerianae, cujus antea tantum unicum lectum fuit exemplar, nostram specie identicam esse, nullus dubito. Quae paucae adsunt diversitates juniori statui speciminis Turneriani forsitan adtribuendae. Frondes nempe, quae in hoc subsimplices sunt, in nostris plerumque ad medium caulem ramis numerosis aggregatis instructae obveniunt. Ramenta quoque aliquantulum tenuiora apparent. — Specimina vero a Brownio e mari australi reportata, et ad hanc speciem varietatis ad instar relata, speciem constituere propriam crediderim.

---

8. *Caulerpa serrulata* *J. Agardh.*

C. fronde plana lineari dichotoma margine aequaliter serrulata.

Hab. Ex oris Abyssinae maris rubri reportavit Ruppell.

Speciem pulchram initio pro varietate *Caul. Freycinetii* habui. Frondes vero, quae in hac subspiraliter tortae et margine tantum exteriore dentibus 2—3 ad quodque latus ornato, in nostra omnino planae sunt et lineares, tripollicares et lineam latae, apice rotundatae, per totam longitudinem utroque margine aequaliter serrulato.

*Fucus serrulatus* Forskalii, qui a Turnero ad *Sargassum diversifolium* et a patre in *Speciebus Algarum* ad *Caulerpam Freycinetii* trahitur, forsitan optimo jure ad nostram speciem referendus.

---